



P. 1

Sammelband

162



QUÆSTIONUM
CONTROVER-
SARUM
DECAS QUARTA,

Quam,

Adjuvante Deo Triuno

Sub Presidio

Clarissimi & Consultissimi viri,

Dn. VALENTINI GUIL. FOR-
STERI J. U. D. & in celeberrima VVitte-
bergenfium Academia Professoris Publ.
Præceptoris fui honorandi,

Publicè difcutiendam proponit

HERMANNUS Braudtlacht

Lemgov. VVestphalus.

In Auditorio JureConsultorum

ad diem 26. Nov.

☉):(☉

WITEBERGÆ,

Excusa typis Johannis Richteri, Anno 1614.

IN NOMINE DOMINI

AMEN

IN NOMINE DOMINI

AMEN

QUESTIONUM


AD IUDICIA

PRIMA

Quoniam in his capitulis non solum de iudicio
sed etiam de iustitia et de rebus in iudicio
tractatur. Et in his capitulis non solum
de iudicio sed etiam de iustitia et de rebus
in iudicio tractatur.

DE IUDICIO CIVITATIS





IN NOMINE DOMINI
NOSTRI JESU CHRISTI.

Quæstionum Controversarum
Decas Quarta.

QUÆSTIO PRIMA.

Num pœna capitis in eos constituta, qui deliquerint aliquid in muros, ad urbis Romæ muros restringi debeat? Aff.

Romanam civitatem multa singularia, propter excellentiam & præminentiam, præsertim ratione Juris Civilis scripti, habere, nemo unquam in dubium vocavit, ob *l. unic. C. d. privileg. urbis Constantinop.* Et sic de uno aliquo singulari inter cætera, testatur J.C. Pomponius in *l. ut. de R. D.*, ubi tradit, quod hi qui muros transcendunt scilicet urbis Romæ, capite sint puniendi, inquit: *Si quis violaverit muros, capite punitur &c.* Quod id urbis Romæ singulare, neq; ad alios, aliarum civitatum,

tatum, muros extendendum, opinamur. I. Quoniam JC. Pomponius, se ipsemet explicat, dum exemplo Remi & Romuli utitur, qui fundatores urbis Romæ fuerunt, uti historici tradunt. Et certè nulla verior & melior explicatio dari & inveniri potest, quàm quæ ab autoribus additur, dum unusquisque verborum suorum optimus est interpres. II. Adjuvatur hæc interpretatio & confirmatur nostra sententia eo, quod Imperator Justinianus in §. *Sanctæ Inst. de A.R.D.* dicat; Sanctos muros esse CIVITATIS non CIVITATUM, & sic singulari non plurali numero utatur, quo absque dubio usus fuisset, si de alijs civitatibus pœnam voluisset intelligi, dum incipientibus omnia manifestè tradere in *proëmo Institut.* promisit. III. Certum est, quod interdictum seu extraordinaria actio locum non habet, ubi ordinaria subsistit *argument. l. 14. de precar.* At hic datur interdictum seu extraordinaria actio *l. pen. & ult. Ne quid in loc. sac.* Ergo ordinaria locum non habet, Et per consequens capite non plectentur transgressores. IV. Æquitas suadet, quod sit pœna mitior infligenda, & extra ordinem arbitraria violatoribus murorum imponenda, dum in pœnis id quod benignius est sequimur, Et pœnæ, uti ait JC., molliendæ potius quàm asperandæ *l. interpretatione 42. de pœnis l. Arrianus 47. de O. & A.* Et aliàs convenit odia restringi & favores ampliari *c. odia de R. I. in 5.* Quod & pœna arbitraria hoc in casu, Relegationis, carcerum aut pecuniæ imposita sit, se meminisse attestatur VVesenb. in *not. ad Schneidvv. in §. Sanctæ de A.R.D.* Hanc sententiam porrò tuentur Coraf. in *l. fin. de R. D. Schneidvv. in §. Sanctæ Instit. eod. Vult. ibid. Diss. Hotom. in §. Sanctæ Instit. de A.R.D. Goedd. in l. 5. n. 17. de V. S. Cramer. discept. 7. posit. 13. Harpp. in §. Sanctæ Inst. d. A. R. D. Hoën. in quæst. illust. disp. 4. th. 5. per §. sanctæ d. R. D. l. 8. ff. eod. & l.*

*l. desertorem 3. §. in bello 15. de Remilit., de quibus & simili-
bus in ipso disputationis actu videbimus.*

QUÆSTIO SEGUNDA.

*An qui feram bestiam in alieno fundo
capit invito domino, faciat
suam? A.*

Jure civili non modò in suo, sed etiam alieno feras bestias
& volucres capere licet: ita tamen, ut dominus fundum
suum ingredientem, si præviderit, jure prohibere possit *l.
3. §. 1. d. A. R. D. §. fera 12. Instit. eod.* An verò feram, quam ul-
tra prohibitionem, celeritate quâdam & diligenti venan-
di studio, in alieno ceperit, suam faciat, vehemens inter
Dd. agitur quæstio. Nos idipsum cum Duareno *ad l.
3. §. item feras d. A. post. Vvesenb. in d. §. fera Inst. eod. Vult.
ibid. Harpp. ibid. n. 19. & Hackelm. in quæst. illast. disp. 19. th. 3.*
Affirmamus (salvâ tamen domino actione injuriarum ad-
versus eum, qui ipso prohibente fundum ingressus est *l. in-
juriarum 13. in fin. d. injur. l. 25. de Actio. Empt.*) I. Siquidem
dominus ab ingressu saltem fundi sui & non à venando vel
aucupando ingredientem arcet, sicuti constat *ex l. 3. §. 1.
de A. R. D. & §. fera Inst. eod.* ubi agitur in vers. *plane &c.* quod
possit à domino, si præviderit, prohiberi, ne quis ingredia-
tur fundum suum, venandi aut aucupandi gratia: Sed sub-
jicitur in vers. *quicquid autem &c.* quod ab ipso prohiberi
non possit, quicquid eorum ceperit, quo minus ipsius esse
intelligatur, donec in custodia sua coërcetur. Patet igitur,
ut dictum, nō captionem, prehensionemq; sed ingres-
sum saltem prohiberi. II. Quoniam aves in aëre volant &

bestiæ vagantur, adeoque nullo dum certo loco constunt, verum semper fuit, nec aves nec feram bestiam fundi partem esse, Et sic magis aëre quam terra contineri videntur *d. l. 3. §. 14. de A. R. D.* Jam autem aër est communis *§. 1. Instit. h. t.* Sequitur ergo, sicut aërem ubicunque hauriendo nostrum facimus, & aër incumbens terræ non est domini fundi, sed cuiq; occupanti, haurienti q; conceditur; Ita & ea, etiamsi in alieno, quæ in aëre capiuntur. III. Poena privationis locum non habet, nisi in casibus jure expressis, *Nov. 2. c. 3. verbis, Nec qualibet Lex & c. l. et si quis §. Divus 24. d. Relig. & sumpt. fun.* Atqui nulla lege cautum est, quod venator invito domino fundum eius intrans, commodo venationis privandus sit, ut non faciat suum, quod cepit. E. IV. Legitimè factum poenam nullam meretur *l. Gracchus 4. C. ad l. Jul. de Adult. l. nemo 151. l. factum 155. de R. J.* At venator occupando res, quæ nullius ante fuerunt in fundo alieno, nemini facit injuriam, & id facit quod jure regent. cuiq; licet *d. §. sanctæ & l. 1. §. 1. d. A. R. D.* Ergo poenam non meretur, & per consequens poena restitutionis non afficiendus. V. Animalium quorum fera natura, tam diu domini sumus, quam diu custodia nostra detinentur, eaq; inclusa habemus: quam primum autem custodiam nostram effugerunt, & in naturali laxitate degunt, domini amplius non sumus *d. §. 3. §. 2. & d. §. sanctæ d. A. R. D.* Quamobrem nobis restituenda non sunt ab eo, qui illa, contempta prohibitione nostra, in naturali laxitate degentia in fundo nostro cepit: præsertim cum is, neq; possessione, neque dominio eorundem nos privarit aut defraudarit.

Nec in contrarium movet *l. in laqueum 55. de A. R. D.*
Cujac. 4. observ. 2. objecta, siquidem penitus introspecta
potius

potius in verſ. *ſummam &c.* noſtram ſententiam confir-
mat.

Neque obſtat, quod D. Pius aucupibus reſcripſit, Non
eſſe conſentaneum, ut per aliena prædia aucupium faci-
ant *l. Divus 16. d. S. R. P.* Aliud enim eſt in alieno venari, a-
liud eſt quid capere, ut tuum facias: illud non licet invito
domino *l. 3. §. 1. uti poſſid. l. 3. l. 5. de A. R. D.* Hoc prohibitum
non eſt, quoniam in capiendo & acquirendo eo, quod nul-
lius eſt, nulli fit injuria, Gerhard. *decal 4 q. 7.*

Haut etiam refragatur *l. 17. & 22. C. d. R. V.* ubi dicit, quod
malæfidei poſſeſſor, rem unâ cum fructibus reſtituere co-
gatur: Negamus enim talem venatorē Malæf. poſſeſſ. eſſe.

Ult. hanc ſententiam non mutat *l. 20. d. Uſur. l. item ſi fun-
di §. aucupiorum l. 62. §. 1. de uſufruct. cum ſimilib.* In quibus
dicitur venationem sæpenumero in fructu eſſe. At qui fru-
ctus in alieno colligit, ſuos non facit, ſed potius furtum
committit *l. arboribus 12. §. ſi fur de uſuf.* Fructuum nam-
que ſignificatio eſt duplex: Generalis & ſpecialis. Et qui
fructus in ſpeciali ſignificatione, qui ſc. ex ipſo rei corpore
nascuntur, ſoloq; cohærent, invito domino demetit & au-
fert, furti crimen perpetrat: Qui autem fructus in generali
ſignificatione decerpit, ſecus, uti docet VVeſenb. *in para-
tit. d. A. R. D. n. 7.*

QUÆSTIO TERTIA.

*An propter Gallinam furto ſublata,
actio furti competat? Aff.*

QB Gallinam furti actionem dari æquum eſſe dicimus
cum VVeſenb. *in §. gallinarum 14. Inſt. de A. R. D.*
Schneidvv. & Heig. *ibid.* Julio Claro *in §. furtum n. 24.* qui
& hoc

& hoc addit, hanc opinionem frequentissimo calculo omnium esse receptam, Bronch. cent. 4. Assert. 70. Et Hoen. q. ill. disp. 4. th. 7. I. Propter §. gallinarum Inst. d. A. R. D. l. Gallinarum. s. ff. eod. l. si pavonem 37. de furt. In quibus textibus constanter asseritur, quod is qui gallinam, anseres, pavonem &c. lucrandi animo apprehenderit, furti nobis teneatur, nosq; cum isto, qui tales habere ceperit, furti agere posse. II. Furtum generaliter definitur, quod sit contrectatio rei alienæ fraudulosa, lucrificandi causa. At hic est contrectatio rei alienæ fraudulosa, etiam si in minima quantitate, cum furtum non ex rei subtractæ quantitate, sed ex animo & affectu furripientis æstimetur l. factum 37. de usucap. Cui igitur competit definitio, Eidem & definitum: Et per consequens dabitur adversus talem furti actio d. l. si pavonem. III. Quia aliàs pro re modica actio ordinaria intentari potest l. 1. §. illud 10. de conjungend. cum emancip. lib. eius. At ex furto oritur Actio ordinaria. Ergo. IV. Accedit Traditum Dd., dicentium etiam pro ovo furti actionem dari posse Gomez: in pr. Inst. de Act. n. 6.

Verum ab isthac sententia quidam discedunt, inter quos Didac. Covarr. 1. var. resolut. 3. dicens. 1. Jus est ars æqui & boni l. 1. in pr. d. 1. & 1. At pro re minima furti actionem dari, quæ infamiam importat, nulla æquitas concedit. Sed Respondemus ad minorem Negando, & contrarium asserendo: Æquitas etenim maximè instigata actionem furti dare, ubi furtum est. At in re minima furtum committitur, ut supra probatum. E. 2. Sic argumentatur ex l. si quis affirmavit. 9. §. ult. de dol. mal. Actio doli non datur pro re minima d. l. 9. At furtum & dolus comparantur, cum in utroq; sc. in dolo commisso & in furto, est depravatus animus: Imò plus dolus improbatur quam furtum l. 3. §. si quis volenti de liber. hom. exhib. l. 1. §. persuadere de serv.

serv. corrupt. Ergo nec actio furti. Resp. Negando conseq.
Nam non sequitur, comparantur in eo, in utroq; est ani-
mus depravatus. Ergo in omnibus. Ratio enim diversi-
tatis est maxima. 1. ideo in furtis consideratur quod mini-
mum est, quia omne furtum malum, & lex semper resistit
omni furto, quod non solum est malum, quia prohibitum,
sed etiam prohibitum quia malum, ut dicit textus *in c. si*
Christus & c. circ. med. de jurejur. Nec lex unquam concedit,
quod quis furto fiat locupletior, Est siquidem contra jus
naturale cum alterius jactura locupletari *l. jure natura 206.*
d. R. I. c. locupletari d. R. I. in 6. l. succursum §. ult. de jure dot. Et
ideo prohibitum est semper & quo ad semper: Dolus au-
tem aliquando est bonus *l. 1. §. 1. de dol. mal.*, & non semper
prohibitus à jure: imò sæpe permissus ut homines cautio-
res in rebus suis reddantur *l. item si 22. §. quemadmodum 3.*
Locati l. in causa 16. §. idem Pomponius de minorib. Et propter
ea si jam incidit dolus in parva re, non datur actio de dolo
Gomels. *d. loc. n. 58.* 2. Actio furti est ordinaria, atqui hujus-
modi actiones dantur etiam pro re minima ut supra prob:
Sed actio doli est extraordinaria, & demum competit ubi
nulla alia actio superest *l. 7. in pr. de dolo. mal.*

Tandem nihil obstat *l. scio 4. de in integ. restit.*, ubi di-
citur de re minima vel modica non curare prætorem,
quemadmodum demonstrat Bronch. *all. loc.*

QUÆSTIO QUARTA.

*An pars agri translata, postquam arbores
radices egerint, una cum arboribus do-
mino novo quaratur?*

Affirm.

B

Quæ

Quæ vis fluminis alieno prædio detracta, prædio nostro
appulit, aut in nostrum invexit, palam est ea nostra
non fieri, sed prioris domini permanere §. *quod si vis 21. In-*
stit. de A. R. D. l. adeo 7 §. quod si vis 2. ff. eod. Ratio, quia etsi ad
prædium nostrum delata sint, separata tamen sunt, dum
prædio nostro non cohærent, ut dici possint eius partem
facere. Hæc cum ita sint, ulterius quæritur, quid dicen-
dum, si tam diu pars agri translata permanserit, quod ar-
bores unâ translatae fundo nostro hæserint, & in eum radi-
ces egerint, cui acquiratur? Nos dicimus cum Cujac. in §.
quod si vis, in verb. *quod si vis Instit. de A. R. D.* Harpp. *ibidem*
Donell. 24. comm. 27. & aliis, (contra Hotoman., qui docet
quod terra veteris domini maneat, arbores verò item ut
quæ in confinio positæ sint, aut communes aut vicini effici
§. *si Titius Instit. h. t.*;) Quod novo domino tam pars, quam
arbores, quæ in ea radices cæperunt, cedant. I. Dum in *d.*
l. adeo. 7. de A. R. D. expresse à Jcto dicitur: Planè si longiore
tempore fundo meo hæserit: arboresq; quas secum tra-
xerit in meum fundum, radices egerint: Ex eo tempore
videtur meo fundo acquisita esse. Ubi notentur vocabu-
la, in singulari numero posita, HÆSERIT, VIDETUR,
ACQUISITA: quæ nunquam ob puritatem latinæ lin-
guæ, ad vocabulum arbores referri possunt. II. Quoniam
priori domino qui crustam seu partem illam amisit, dire-
cta vind. catio non datur *l. hoc amplius 9. §. Alfenio de damno*
infecto: Sed saltem utilis in factum, vel utilis in rem, pretij
consequendi gratia. At utilis vindicatio datur non do-
mino §. *namq; 4. Instit. de Act.* III. Quia prior dominus si-
bi imputare debet, quod tanto temporis spatio, ablatam
terræ suæ partem seu crustam, antequam coaluerit, & uni-
tatem cum terra mea fecerit, non repetierit.

Nec est quod Hotoman. objicit: Si arbores essent
nullæ,

nulla, dubium non est, quin veteris domini pars translata maneret. At ridiculum est causam istius rei in arboribus ponere. Respond. enim quod in eo Hotom. petat principium, & est de quo quaerimus. Imò dicimus *ex l. 9. de damno infect.* nihilominus ipsius manere, etiamsi nullas arbores secum traxerit, si modo longiori tempore fundo nostro adhæserit, cum terra fundi coaluerit & unitatem, cum ea fecerit *d. l. adeo 7.*

Minus facit dum inquit: Cum tanta disputatio inter veteres JCos de ipsis arboribus fuerit, quis non videt, pro certo ac explorato illud inter eos habitum fuisse, terram veteris domini manere: Negamus enim quod illud pro certo ac explorato inter illos habitum fuerit: Sed id demum certum factum est, quod veteris domini non maneret *ex d. l. adeo 7.* & alijs rationibus à nobis productis.

QUÆSTIO QUINTA.

Num insula in flumine publico nata fiat etiam privatorum, quoad usum?

Affirm.

Monendi ante omnia sumus, nos loqui non de omni, sed de ea tantum Insula, quam in formam Insulæ ex agro continenti flumen redegit, Et sic nata in flumine & quidem in alveo, ut fiat & ipsa pars alvei. Talem jam Insulam in flumine publico natam, tam quoad usum, quam quoad proprietatem fieri eorum, qui prope ripas prædia possident, docent Donell. 4. *comm.* 29. Hotom. 1. *observ.* 23. Anton. Matth. *in notis ad §. Insula* 22. *Inst. de A.R. D.* Harpp. *ibid.* Gerhard. *decad.* 4. q. 6. & alij quorum vestigia jam se-

B 2 que-

quemur. I. Quoniam si Insula in publico flumine fuerit
nata, inq; ea aliquid fiat, non videtur in publico fieri *l. 1. §.*
si insula. 7. de flumin. II. Quid juris est de toto, idem & de
qualibet eius parte: vel; quæ de toto dicta sunt, eadem & de
singulis eius partibus intelligenda sunt *l. que de tota d. R. V.*
At de toto sc. alveo dicitur, quod privatorum sit, tum quo-
ad usum, tum quoad proprietatem *l. 30. §. 1. ubi dicitur: quia*
populus eo non utitur &c. d. A. R. D. Idem affirmatur de al-
veo relicto *§. quod si 23. Inst. eod.* E. idem dicendum de par-
te sc. Insula. Quod autem Insula sit pars alvei probatur,
quia cum eo cohæret, nasciturq; semper in alveo: Ea au-
tem parte, qua exstat Insula, alveus flumine teneri desit
Donell. *d. loc.* III. Quoniam Labeo scribit in *l. pen. §. 1. de A.*
R. D. Si qua Insula in flumine, propria tua est, nihil in ea publi-
ci est: At Paulus notavit, ripam eius usu esse publicam, non se-
cus atq; in continenti agro. Si Ergo aliquid saltem publici
est in tali Insula, videl. ripa, sequitur quod tota esse ne-
queat. Aliud enim est jus Insulæ & ipsius fundi, aliud ri-
pæ. Proindeque sicut prædium flumini proximum, nec
proprietate, nec usu publicum est, quanvis ripa eius usu
publica sit *§. riparum Inst. d. A. R. D.* Ita Insula in flumine,
nata, in dominio eorum est, tum quoad usum, tum quoad
proprietatem, qui prope ripas prædia possident: ripæ au-
tem ipsius usus publicus. IV. Interpretatio recipienda,
quæ sapit æquitatem: omnis enim interpretatio versari
debet in æquo & bono. At nihil æquius, quàm id quod
dominus de suo prædio perdidit, insula enata, recuperare
etiam quoad usum *argt. l. 1. §. ult. de aqua plu. v.* V. quia tex-
tus in *§. Insula & l. 7. §. 3. d. A. R. D.* generaliter loquuntur,
Et ab horum textuum generalitate recedendum non est,
sed standum donec ex speciali aliquo textu contrarium
probetur. VI. Quis quæso usus erit proprietatis Insula-
rum,

rum, semper abscedente usufructu? Nullus, quod tamen
contra §. 1. *vers. ne tamen &c. Inst. de usufruct.*

Huic sententiæ non adversantur quæ à Cujac. 2. *ob-*
serv. 9. & 14 observ. 11. Pacio cent. 6. q. 93. Heigio p. 2. q. 40. n.
134. Hœn. disput. 4. th. 9. & aliis proferuntur. Ideo. 1. non
resistit l. pen. §. ult. d. A. R. D. Sed quod ibi dicitur, dictum
est de ea Insula, quæ ad hanc quæstionem nō pertinet. Ete-
nim Insulam in flumine nasci oportere, & quidem in al-
veo ut supra monuimus, verum est: oportet tamen etiam
verè insulam esse, id est, consistentem & alveo cohæren-
tem. Quod si qua Insula, ipsi alveo fluminis non cohæ-
reat, sed virgultis, aliave qualibet levi materia, ita sustinea-
tur in flumine, ut solum eius non tangat, sed ipsa movea-
tur & supernatans huc & illuc impellatur, non est verè
Insula, dicente Paulo in *d. l. pen. §. 2.* Ac sic de ea accipien-
dum, quod dicitur in *obiecta l. 3.* uti docet Donell. 4.
comm. 29.

Minus obstat, cum dicunt; Flumen est publicum usu ju-
ris gent §. *flumina a. 2. Inst. d. A. R. D.* Iccirco & Insula na-
ta in flumine publica est. Nulla siquidem inest conse-
quentia. Nam cur Insula non sit publica ut flumen, sed il-
lorum propria, qui prope prædia habent; hæc inter cate-
ras ratio esse potest, quod sit decerpta ex prædio utrinque
posito. Et sanè si ulla esset consequentia in argumento,
sequeretur pari ratione, Insulam ne quidem quoad pro-
prietatem, ullius esse privati, cum nec flumen quoad pro-
prietatem ullius in bonis sit *d. §. flumina.*

Nihil deniq; roboris habet, cum sic argumentantur: Si
ripæ fluminum & littora maris publica sunt usu, sequitur
etiam Insulas usu esse publicas. Rationem conseq. desu-
munt ex *l. pen. d. A. R. D.* Cum diversa sit ratio littorum &
riparum atq; Insularum enatarum in publico: Insulæ enim

in publico natae flumen dilatant, & tantum vicissim occupat flumen ex vicinis praediis, quantum ipsae continent. Aequitas idcirco suadet, Insulas non tantum quoad proprietatem, sed etiam quoad usum ad istos pertinere: Quae ratio igitur cum in ripis deficiat, non mirum est, si aliud jus in his atq; in Insulis constituamus. Deinde quod *pen. §. 1.* attinet, non hoc ibi dicitur, quod eius juris sit Insula, cuius juris ripa continentis, sed quod eius juris sit ripa Insulae, cuius juris ripa continentis: Proinde non de ripa loquitur, sed insulae ripa.

QUAESTIO SEXTA.

Num male fidei possessor consequatur impensas necessarias, & utiles, utili negotiorum gestorum actione?

Neg.

Genera impensarum sunt tria, quaedam sunt necessariae, quaedam utiles, quaedam voluptuariarum *l. impense 79. d. V. S.* Necessarias deducunt omnes tam Male fidei, quam Bonae fidei possessores *l. plane 38. de hered. petit. l. domum 5. C. d. R. V.* Et natura hoc aequum est, neminem cum alterius incommodo fieri locupletiores: neminem cum alterius iactura lucrum facere. *l. Nam hoc natura 14. de condict. indebiti.* Haec autem deductio non tam personae, quam causae tribuitur. Utilium autem longe alia ratio est, tum in Male fidei, tum in bonae fidei possessoribus. Utiles impensas ne bonae fidei quidem possessori deducere, usquequaque concessum est, sed de eo variè, inquit Celsus, bonus Iudex ex personis causisque constituet *l. in fundum 38. d. R. V.* id est deducet quatenus petitoris conditio iis non reddatur deterior

terior *d. l. plane de heredit. petit.* Secus autem in Malæ-
fidei possessore, quia hic eas regulariter non deducit, etsi
damnum sentiat, quod enim quis ex sua culpa damnum
sentit, sentire non intelligitur *l. quod quis 203. de R. I.* licet
sine læsione prioris status tollat *l. 37. in fin. d. R. V. l. domum 5.*
C. cod. Hæc cum sic omnia clara & expedita, vehemens &
magna inter Dd. de modo deducendi, movetur quæstio:
Num videl. malæfidei possessor consequatur impensas ne-
cessarias & utiles utili negociorum gestorum actione? Hæc
quæstio sane eiusmodi est, ut in utramq; partem optime
disputari possit, docente Clariss. Dn. Præf. *disp. 2. p. 2. tract.*
Justin th. 6. lit. E. Cum tamen ea sententia, qua dicitur,
quod non utili negociorum gestorum actione consequatur,
verior esse videatur, monente ibidem Clariss. Dn.
Præf. *d. loc. eam tuebimur, dicendo cum Donell. 28. comm. 7.*
unam tantum viam ad consequendas impensas esse per
exceptionem & rei detentionem: Nullam a. eo nomine,
neq; bonæ fidei neq; malæfidei possessori actionem esse.
I. Si n. esset actio ipsis aliqua utilis, sumptus utiliter & ef-
ficaciter peti possent. *l. actio 47. d. Negot. gest.* Peti autem
non possunt, sed exceptione doli, posita per officium judi-
cis æquitatis ratione servantur *l. sumptus 48. d. R. V.* II. Ex
l. si in area 33. in fi. d. cõd. ind. ubi JC. dicit: Et ideo constat, si quis
cum existimaret, se heredem esse, Insulam hereditariam falsif-
set. nullo alio modo, quam per retentionem impensas servare pos-
se. Ubi notandum contra Gœdd. quod verba, *Nullo modo,*
nequaquam referri debeant ac possint ad conditionem
indebiti, aut aliam ex contractu actionem, cum sensus &
mens Ulpiani reclamiret. III. Qui rem tanquam suam
possidens, in ea tanquam sua ædificat, aut quid aliud im-
pendit, negocium suum gerit non alienum. Qui autem
suum

suum gessit ei denegatur repetitio *l. domum s. C. d. R. V.* Contentus igitur sit Exceptione. IV. Ex *l. Paulus 14. de doli mali Except.* ubi dicitur: quod qui in alieno solo ædificium extruxerit, non aliàs sumptus consequi possit, quam possideat, & ab eo dominus soli rem vindicet: sc. opposita doli mali exceptione. Sed regerunt, quod lex tantum loquatur de utilibus impensis. Resp. Etsi hæc lex tantum loqueretur de utilibus impensis; tamen quod ei deesset, ex aliis *lb.* supplendum foret. Quæ cum ita se habeant nihil nobis obstat *l. 6. de Negoc. gestis.* Item *l. s. C. de R. V. & l. fin. §. 1. de heredit. pet.* uti demonstrat Donell. *d. loc.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

An bonæ fidei possessor titulum suæ possessionis habens consequatur naturales fructus? Affirm.

Bonæ fidei possessorem fructus industriales, id est, qui cura & facto ipsius provenerunt, indistinctè sive titulum habeat, sive non habeat, suos facere nullum putamus esse dubium: Sed hoc quæstione non caret, An etiam naturales indistinctè capiat & lucretur? Quidam plane naturales fructus suos facere negant, affirmant Alii, Quodam aliter atq; aliter distinguunt; ut ferè dubitari possit, cui parti adstipulemur. Omnino tamen illorum sententiam veram esse dicimus, qui distinguunt inter titulum suæ possessionis habentem & non habentem. Quod ille fructus naturales omnino suos faciat; Hic minimè. Distinctionem autem hanc collatio legum habet, uti eleganter demonstrat Cl. Dn. Præses *in tract. Justin. disp. 5. q. 26.* Nam de bonæ-

bonæ fidei possessore, qui titulum suæ possessionis habet, quod hic indistinctè fructus lucretur, textus est expressus in *l. bonæ fidei d. A. R. D.* ibi: *Bonæ fidei possessor non tantum eos, qui diligentia & opera eius provenerunt, sed omnes &c.* Ubi notandum vocabulum omnes, qui enim omne dicit, nihil excludit. At in *l. fructus 45. de usuris*, agit J. C. Pomponius de possessore bonæ fidei, qui titulo caret, & dicit, quod hic tantum suos faciat, quos operis suis acquisierit, veluti serendo. Præterea eadem hæc distinctio probatur, ex eisdem legis verbis: *Sicuti nec cuiuslibet bonæ fidei possessor*: Quæ verba, uti ibidem eleganter Consult. Dn. Præses dicit, Non collectivè, vel universaliter sunt accipienda, quasi nullus bonæ fidei possessor fructus naturales suos faciat: Sed particulariter & distinctè, quasi non omnis, sed hic tantum qui titulum habet: quemadmodum à simili dicitur, non cuivis contingit adire Corinthum; sed tamen quibusdam.

Cæterum quod hic, qui titulum habet, consequatur fructus naturales dupliciter ex *l. qui scit 25. §. 1. de usuris*, probo ubi 1. dicitur, quod bonæ f. possessor qui titulum suæ possessionis habet, id juris habeat, quod dominis prædiorum tributum est: Ex quibus verbis sic concludo: Quoscunque fructus dominus prædij percipere, suosq; facere potest, eosdem quoq; percipere, suosq; facere potest bonæ fidei possessor titulum suæ possessionis habens. At Dominus prædij indistinctè fructus omnes cum naturales, tum industriales percipere suosq; facere potest. Ergo 2. dicitur in textu: Bonæ fidei possessor plus juris, in percipiendis fructibus habet, quam usufructuarius; unde sic infero: Quod jus habet usufructuarius, idem & quidem multò fortius habet bonæ fidei possessor, titulum possessionis suæ habens. At usufructuarius omnes omnino fructus, tam naturales,

C quam

quam industriales percipere suosq; facere potest *l. usufructu 7. l. item si fundi 9. de usufruct.* Non minus igitur, imò multo magis bonæ fidei possessor, omnes omnino fructus tam naturales quam industriales percipere suosq; facere potest. Hæc cum ita sint, manet vera hæc sententia quod Bonæ fidei possessor, qui titulum habet consequatur fructus naturales, non item qui titulo caret. Et id negare puto vel esse eius, qui textus allegatos & alios non legerit & expenderit, vel eius, qui forte contendendi studio neget verum esse, quod verum esse sentiat, ut Donelli *4. com. 19.* verbis utar.

QUÆSTIO OCTAVA.

An bonæ fidei possessor postquam cognovit rem alienam esse, fructus deinceps suos faciat? N.

Quæstio hæc præsens, de eo qui bonæ fidei possessor in principio fuit, & postea factus est malæ fidei possessor, An hic fructus ab eo tempore quo malæ fidei possessor factus, suos deinceps faciat, nodo Gordio intricatior esse videtur. Intricatam autem eam interpp. reddere videntur, dum quærunt, quo momento temporis Bonæ fidei desinat & incipiat esse Malæ fidei possessor? an demum post litem contestatam, an vero quamprimum rem alienam esse cognoverit? Hic quid asserendum dubitatur. At quoniam dubitando nihil certi concludi potest de posita dubitatione concludimus intrepidè, Quod bonæ fidei possessor, quamprimum cognoverit rem alienam esse, incipiat malæ fi-

malæ fidei possessor fieri, neq; deinceps fructus suos faciat,
ita ut lucretur. I. Propter l. 40. & l. cui bona 23. §. 1. de A.
R. D. ubi Ulpian. agit de servo qui bona fide servit, dicens:
*Tamdiu autem acquirit, quamdiu bona fide servit, cæterum si
cæperit scire eum esse alienum vel liberum, videamus an ex ac-
quirat. questio in eo est, utrum initium spectamus, an singula
momenta spectemus.* Ex hoc textu videre licet, non de-
mum post litem contestatam aliquem effici malæ fidei
possessorem, sed singulis momentis. Et quod non tan-
tum malæ fidei possessor sit qui initio malam fidem ha-
bet, sed etiam qui postea malam fidem habere incipit.
Proinde ut hic qui ab initio malæ fidei possessor esse cæ-
pit, fructus suos non faciat, ita & hic qui postea: hoc enim
jus bonæ fidei possessoribus tantum tribuit. II. Expresse,
probatur ex l. bonæ fidei 48. §. 1. de A. R. D. ubi & ratio diversi-
tatis manifesta assignatur inter usucapionem & fructuum
perceptionem: Sic enim J. C., cum de bonæ fidei possessore
prolixè in principio dixerat, quod hic fructus omnes,
juxta distinctionem à nobis assignatam in præced. quæst.
suos faciat, pergit: *In contrarium queritur, si eo tempore, quo
mihi res traditur, putem vendentis esse, deinde cognovero alie-
nam esse: quia perseverat per longum tempus an fructus
meos faciam.* Pomponius verendum ne non sit bonæ fidei pos-
sessor (hoc est utiq; est malæ fidei possessor, nam ea vis huius
sermonis est l. 9. §. si res d. jure dot. l. duobus 237. d. V. S.) quam-
vis capiat (hoc est usucapiat rem l. unic. C. de usucap. transf.)
hoc enim (quod obveniente mala fide usucapit) ad jus, id est
usucapionem (seu usucapionem) illud (ut fructus perceptione
suos faciat, vel non faciat) ad factum pertinere (sc. percipien-
di fructus) si quis bona aut mala fide possideat. Sicuti hanc le-
gem explicat Goëdd. in l. 109. n. ult. d. V. S. III. Sic argumen-
tando nostram probo sententiam: Cui competit definitio,

eidem & definitum. At tali qui postea cognovit rem esse alienam competit definitio malæ fidei possessoris: Definimus autem malæ fidei possessorem, quod sit qui non habet justam causam putandi rem ad se pertinere *arg. l. item veniunt 20. §. 6. junct. l. 20. §. 11. de heredit. petit.* Nihil autem interest, an initio sciverit rem esse alienam, sive cognoverit, ut supra probavimus. Deinde exinde etiam non fit malæ fidei possessor, sed quod scientiam habuerit rei alienæ. E. Jam porro malæ fidei possessor fructus omnino non facit suos. Ergo nec hic.

Non obloquitur quod adducunt contra primum membrum quæstionis ex *l. qui scit §. ult. de usur.* Resp. 1. quod superveniente malæ fide, duret quidem adhuc factum percipiendi fructus jure possessionis: at non ut suos faciat, ita ut lucretur & sic irrevocabiliter, propter malam fidem jus infirmantem. 2. Inter se non pugnant, statim fieri malæ fidei possessorem, & non fieri antequam evictus sit, uti planum facit *Doncll. d. loc.*

Neq; posteriori membro nostræ sententiæ obstat hoc argumentum, deductum ex usucapione: In usucapione ita jus est; si quis rem bona fide caput possidere, non obest ei postea cognovisse rem esse alienam, quo minus usucapiat *l. justo errore ductus 44. §. 1. 2. & 4. de usucap. l. unic. C. d. usucap. transform.* Ergo & qui postea cognovit nihilominus fructus suos facit; Præsertim cum magis etiam sit, rem totam usucapere, quam saltem fructus suos facere Resp. etenim Non V. C. Maxima diversitatis ratio enim est inter usucapionem & fructuum perceptionem, ut constat ex *l. bonæ fidei 48. d. A. R. D. l. 13. Pro emptor junct. à l. sed etsi 25. §. de eo. s. de hered. petit.* Deinde & hanc rationem diversitatis addimus: Usucapio continuum jus est & continuum requirit factum, nempe possessionem *l. 3. de usucap.*, quæ si semel bona fi-

na fide incepit, postea usucapiendi jus non mutat, quia nec ipsa mutatur *l. qui bona 19. §. 1. de A. R. D.* At tot sunt facta, quot sunt fructuum perceptiones; cum itaq; in singulis factorum principiis bona fides requiratur, par jus usucapionis & perceptionis fructuum esse non potest Gædd. *d. loc.*

QUÆSTIO NONA.

An male fidei possessor omnes fructus etiam percipiendos restituat? Aff.

MALE fidei possessorem generaliter de omnibus fructibus, non solum quos percepit, sed etiam quos honestè percipere potuit teneri, uno ore Dd. fatentur ferè omnes, Cuiac. *in l. 2. quod metus caus. VVesenb. in §. si quis à non domino n. 16. Inst. de A. R. D.* Heig. Boreholt *ibidem n. 6. & seqq.* Vult. *in discept. Scholast. c. ult. Bronch. cent. 2. Assert. 87.* Harpp. *in d. §. si quis à non domino,* & alij quamplurimi ab eo *ibidem* designati. Quibus cum consentimus: I. quia ipsum de fructib. honeste percipiendis teneri, sunt textus expressi *l. fructus 31. l. si navis. 62. §. fin. d. R. V. l. sed & partus 12. quod metus caus. l. 1. §. 1. C. de hered. petit. l. 5. l. 22. C. d. R. V.* & alij textus infiniti. II. Omnis malitiæ via præcludi debet. At sic non præcluderetur, dum furtis, Latrocinijs, populationibus fererent & nullius pœnæ metu omnia invaderentur.

Nulla modo adversatur *l. si fundum 17. C. de R. V.* Resp. Etiam si argumentum, à contrariò sensu desumptum, non sit momenti exigui in jure nostro, non valet tamen, si illi expressi textus aut ratio repugnat: Imo videtur dicendum in lb. Codicis, & constitutionibus Imp. plerunq; non procedere, leges namq; Codicis, ut & constitutiones, strictissimè sunt accipiendæ, quoniam semper ferè ad certos casus,

de quibus Consulti Impp. responderunt. *Dn. Val. Förster.*
lib. 9. de success. c. 7. n. 9. Cl. Dn. Praeses lib. 2. observat. c. 24. Et sic
hoc casu de perceptis tantum consultos fuisse dicimus.

QUÆSTIO DECIMA.

*An ut dominium transferatur, vacua pos-
sionis traditio requiratur?*

Affirm.

PER traditionem nobis alicuius rei dominium acquiri,
neminem unquā in dubium vocasse putamus propter
autoritatē Justiniani, qui id ipsum expressē in §. *per tradi-
tionem 40. Inst. d. A. R. D.* tradidit. Quid autem ut domi-
nium per traditionem transferatur, requiratur; an nuda
saltem accipientis prehensio sufficiat: An verò etiam opus
sit vacua possessione, scinditur incertum studia in contra-
ria vulgus Dd; Donellus enim cum suis *4. comm. 10.* sufficere
dicit, nudam prehensionem accipientis. Hotom. vero *ill.*
quest. 11. cum multis alijs contra requiri dicit vacuam pos-
sessionem. Posterius & nos verum esse putamus, etiam si se
non adstrinxerit ad vacuam possessionem tradendam.
I. Idclare affirmatur in *l. 2. §. 1.* & repetitur in *l. 3. §. 1. de Act.*
empt. ibi: *qui fundum dari stipularetur, vacuam quoque posses-
sionem tradi oportere, stipulari intelligitur.* II. Si omne jus præ-
dij alicuius manet apud venditorem, nisi in vacuam posses-
sionem ducat emptorem, certe vacua possessio ut trada-
tur, requiritur, dum alias nihil actum censetur & contra-
ctus emptionis redderetur elusorius. At prius verum *l. si*
pater 8. c. de Act. empti. III. Verus dominus directam actio-
nem in rem habet. At qui in vacuam possessionem indu-
tus

ctus non est, hanc actionem non habet *l. qui pradium 13. C. de distract. pignor. E.* Et per consequens nemo potest fieri verus dominus, nisi qui in vacuum possessionem sit missus *l. cum reus 12. C. de probat.* IV. Si demum in potestatem rediisse & desisse abesse dicendum, cum possessionem justè nacti simus; sequitur à contrario, quod cum possessionem non simus nacti in nostram potestatem non venisse neque abesse desisse. At antecedens verum *l. sequitur 4. §. tunc in potestate 12. de usucap.* V. Idem probat, quod rem dari id est dominium reus transferre, tum demum propriè dicitur, cum vacua & non occupata possessio traditur *l. non videntur 167. d. R. I. l. ubi a. 75. §. ult. de V. O. VI. & ult. quia dominium, sine possessione jure gentium quæri non potest l. 1. de Acquir. poss. §. ex his itaq; s. Inst. per quas person. nob. acquir.* Et hanc sententiam præter Hotom. *d. loc. amplectuntur Cujac. 11. observ. 19. Mynsing. cent. 1. observ. 53. Vvesenb. in partit. de contrah. empt. n. 13. Gæd. ad l. 188. d. V. S. Bronch. cent. 3. Assert. 81. Treutl. disp. 28. th. 4. lit. G. Dis. præter Donell, Gomels. in §. sed ista. n. 30. Inst. de Act. Philip. Matth. in l. 11. n. 37. & seq. de R. I. Hœn. ibid. per l. si fundum de fundo dot. l. quisquis 28. C. de donat. l. 1. C. de donat. qua sub. mod. l. 4. C. de pactis inter empt. l. si ager so. de R. V. l. à Titio 64. de furtis & l. legatum 80. d. leg. 2. Ad quas partim Hotom. partim Bronch. d. loc. respondent.*

SOLI DEO GLORIA.


AD
Dn. HERMANNUM
Braudtlacht de rerum acquirendo
Dominio disputantem.

Dum Juris gnarâ saltus indagine lustras
Et Recti inquiris Justiciâq; modum;
Belle audes Hermanne! Prait FÖRSTERUS; & idem
Deteget insidias queis ea septa via est.
Hic est juridica sylva præfectus; in illo
Deposuit, quicquid magni habet alma Themis.
Ergò viam, præunte viro hoc sectator; & haeres
Justicia, & Dominus proprius Artis eris.

Pro jucundissimæ consuetudinis
memoria

Baltbasar Mencius Nimecensis, P.C.
anno ætatis 77.





1. 6. d. edit. edit.


Ka 4563

X 2614780

VD 17







QUÆSTIONUM
CONTROVER-
SARUM
DECAS QUARTA,

Quam,
Adjuvante Deo Triuno
Sub Præsidio

Clarissimi & Consultissimi viri,

Dn. VALENTINI GUIL. FOR-
STERI J. U. D. & in celeberrima VVitte-
bergenſium Academia Professoris Publ.
Præceptoris ſui honorandi,

Publicè diſcutiendam proponit

HERMANNUS Braudtlacht
Lemgov, VVeſtphalus.

In Auditorio Jure Conſultorum
ad diem 26. Nov.



WITEBERGÆ,

Excusa typis Johannis Richteri, Anno 1614.

